BIBLIOTEKA
Z. N. im. Ossolińskich
XVII-4090

LEXICON LATINOPOLONICVM EX OPTIMIS LATINAE LINGVAE SCRIPTORIBVS CONCINNATVM.



IOANNE MACZINSKY EQVITE POLONO INTERPRETE.

Opus antehac non uisum, & quod non modo Polonis, sed & reliquis omnibus Nationibus, Regnis & populis, qui Slauonica lingua utuntur, & Dialectis tantum inter se uariant, apprime scholis utile & necessarium, ut sunt Russi siue Ruteni aut Roxolani, Masouij, Podolij, VVolhinij, Lithuani, Samogithae, Prussi seu Prutheni, Cassubij, Osuueczimenses, Zathorienses, Pomerani, Bohemi, Morauí, Silesij, Dalmatae, Croatae, Bosnenses, Hunni, Auares, Rami, Raci, Mœsij siue Misij, Seruij seu Serbi, Bulgari, Gallicienses, Lodomerij, Comani seu Clumani, Carniolani, Posegani, Foroiulienses, Istrij, Illirij, Gallates seu Coczomenses, VVandali, Moschouitae, & certa pars Carinthiae.

Cautum est Priuilegio Sacrae & Sereniſsimae Regiae Maiestatis Poloniae, Magnique Ducis Lithuaniae, de non recudendo Opere sine consensu interpretis Ioannis Maczinsky & Haeredum eius in perpetuum, & mulcta grauis, una cum confiscatione librorum, contra secus facientes, interposita.

REGIOMONTI BORVSSIAE, EXCVDEBAT ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS ET DOMINI, DOMINI ALBERTI MARCHIONIS BRANDEburgensis, primi Ducis Borussorum, &c. Typographus Ioannes Daubmannus, Anno

1564.

0.769

INSTYTUT
GEOLOGICZNY

SERENISSIMO PRINCIPI ET DOMINO, DOMINO SIGISMVNDO AVGVSTO, DEI GRATIA REGI POLONIÆ INCLYTO, MAGNO DVCI LITHVANIAE, RVSSIAE, PRVSSIAE, MASOVIAE, SAmogitiæ, Liuoniæq;, &c. Domino & Hæredi, Domino suo longe clementissimo. IOANNES MACZINSKY Eques Polonus, S. D. P. & debitam seruitutem suam subdita fide accuratissime commendat.

EPE mihi multumq; consideranti & grata mente complectenti, immensum illud DEI beneficium SIGISMVNDE AVGVSTE Rex Serenissime, quomodo in tantis imperiorum procellis, salutari & moderata Maiestatis tuæ Serenissimæ gubernatione frui, & beatis commodis omnibus, te nobis imperante, potiri possimus, statim in mentem uenit illud Xenophontis solenne Apophtegma, Nihil differre bonum Principem, à bono patre, quemadmodum enim bonus paterfamilias, ratione officij sui, à domino DEO commissi, curâ & solicitudine domesticorum suorum afficitur, commoda prouehit, incommoda uerò auertit. Ita bonus & sapiens Princeps suis subditis prodesse modis omnibus studet, ac id ipsum Apostolus ac Doctor gentium Paulus expressisse mihi uidetur, de officio legittimi Magistratus sermonem instituens, in hæc uerba prorumpit, ut à bellicis tumultibus & hostium uiolentia tuti Christianæ pietatis & uirtutis officia fideles colant, Magistratus enim, teste Aristotele, est custos & defensor legis, & quidem non Aristotelicæ sed diuinæ, utriusq; tabulæ Decalogi, & quantum omnino fieri potest cooperator, & exequutor diuinæ uoluntatis patefactæ nobis in uerbo, ac eius rei gratia diuinis ornantur epithetis Reges, & appellatione diuini nominis á Propheta Daude compellantur. Ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes, qua uoce admonentur pij gubernatores, ut Regi regum & Domino dominantium omni obedientiæ, seruitutis, & obsequij studio Psalm. 8.

se submittant, assiduaq; beneficentiæ, & reliquarum uirtutum imitatione, ipsi

ne ipsi Deo rerum omnium parenti correspondeant, Esaias uocat nutritios Ecclesiæ á primario eorum officio, quod est, ueræ religionis curæ affici, legittimos Dei cultus & ritus propagare, & tueri, abusus uerò una cum falsis et superstitiosis doctrinis, et idololatrijs funditus ex agro & cultura domini uentilabro uerbi, tanquam inanes paleas euellere, nocentesq; herbas extirpare penitus, quæ sensim suppullulare, & non aliter atq; apud digitos ungues, nisi præcidantur, nobis non sentientibus excrescere solent, Atq; hoc est deosculari Filium Dei, hoc erudiri & intelligere, quæ sit æterni Dei uoluntas, hoc etiam Ecclesiæ sponsæ IESV Christi, sanguine eius partæ, in regnis mundi, est præbere hospicia, dũ docentes in Ecclesia & schola, liberalibus stipendijs & premijs ornãtur, sicut sat ornatos eius classis homines, & dotatos esse, abundè, in tuo regno constat: modo tua eximia diuinaq; sapientia repurgentur abusus, et antiquentur corruptelæ, primum in doctrina, deinde in uita & moribus ordinis huius, in quo uel maxime ordo inesse et uigere debeat. Vidimus te anno superiori, in proximis Petricouen: et iam currẽti in Varschouien: comitijs, magno studio, labore, & diligentia incumbentem in emendationem legum, & restitutionem in integrum eorum omnium, quæ cumq; á publicis legibus, & receptis moribus superiori temporum curriculo exorbitarunt, cuius rei, bona iam fundamenta esse iacta, omnes boni Reipublicæ amantes, existimarunt. Postquam eò emendationis seu ut dicitur exequutionis processum esset, at frustra unam partem Reipub. corriges, constitues, & emendabis, si alteram intactam relinques? Aut ad te huius partis Reipublicæ emendationem pertinere non existimabis? Respublica conglutinatio concatenatioq; quædam, ordinum est inter se, quorum etsi alij supremi, alij medij, alij infimi sunt, alij nobiles, alij plebeij, tum locupletes alij, alij inopes, & tenuissimæ fortunæ, inter se tamen ita compacti, ita in unum corpus coaliti, ut alter sine alterius ope consistere non possit, nec onera & ministeria reipub. debita ulla obire. Quin laborante uno membro necesse est ut aliud quoq; laboret, languente uno & officium suum Reipub. non præstante, langueat et aliud, & officium suum Reipub. inutiliter & sine fructu præstet. Habet enim se Respub. tanquam corpus unius animantis cuius nullum membrum etiam si aliud alio nobilius & præstantius sit, repudiat operam alterius quin nullum membrum seruit sibi soli, nam oculi, pedum gressui, manuum operationi subseruiunt, hæ uerò quoq; muneribus perfunguntur suis, quo eos corporis ac inprimis mentis lumina deducunt.

At placet hoc loco nonnihil in partes et membra Reipub. excurrere et

exspatiari

exspatiari in certas illius classes, idq; me commodissime facturum existimo Romanorum more, qui quatuor illis literis, S. P. Q. R. hoc est Senatus Populusq; Romanus ostenderunt, quid de partibus Reipub. senserint. Quod scilicet ea constet ex Senatorio & populari statu. Senatorio statui, duæ classes cõstitui possunt, Altera Secularis, politica seu militaris, Altera Literaria, Ecclesiastica seu doctrinalis. Altera illarũ classium est Castrensis & armata, potentia, maiestate, gladio, & armis instructa. Altera cum literis, cum doctrina, cumq; honestis disciplinis commercium habens, & est togata tota. Altera corpora, fortunas, & facultates, priuatas & publicas, tum ipsa Regna, Dominia, Ducatus, Prouincias & Principatus, conseruat tuetur & defendit. Altera animũ & pectus omnis animæ uiuentis salutari institutione & liberalibus disciplinis informat. Ad classem militarem commodissime refertur quiuis Magistratus Politicus, ut sunt Reges, Principes, belli Duces, exercituũ Imperatores, Palatini, Castellani, locorum Præsides Iudices, & uniuersus Equester Ordo. Ad Literariam classem iuste referuntur omnes literati, diuinæ & humanæ Philosophiæ dediti, cum rebus diuinis & honestis disciplinis commertium habentes, ut sunt Pontifices, Episcopi, pars Senatus Regni, tum Ministri uerbi, Pastores, Doctores diuinæ & humanæ Legis periti, Theologi, & Iurisconsulti, tum Scholæ, Vniuersitates, Collegia, cœtusq; docentium et discentiũ, Dialectici, Rhetores qui Linguas et dicendi artes tradunt, quiq; Scholis & Collegijs præsunt. Popularis item status duas classes continet, Cuilem & Agrariam, & recte Oeconomicus dici potest. Ad Cuilem classem pertinent omnes Opifices, mercatores, institores, caupones & qui Sedentarias artes exercent, & partim ingenio, partim manuum operatione Reipub. nauant operam, seruiuntq; illi suppeditando amictum ac omne genus uestis & tegumenti. Agraria classis seruit Reipub. quærendo uniuerso corpori illius uictum, ideo materiam omnium esculentorum & poculentorum toti Reipub. corpori subministrat, in hanc omnis turba agricolarum, hortulanorum, olitorum, uinitorum, pastores quoq; & nutritores gregum & armentorum referuntur. Id igitur est militaris classis in Repub. quod caput est in corpore humano, id Literata quod pectus, ubi cordis residentia, id ciuilis quod manus, id Agraria quod pedes. Quæ membra, etsi ut dixi alia alijs sunt nobiliora, tamen ea necessitudine inter se compacta sunt, altera alteris ita alligata, ut, nulla ratione à se diuelli possint, quin necesse est, ut mutuas sibi præstent operas, et aliud alterius ministerio beneficioq; semper indigeat. Neq; enim agricola, uinitor, olitor, hortulanus, agrum exolendo, serendo, uineas plan-

tando, esculenta poculentaq́, ac in uniuersum omnem rem uictuariam quæritando, aut ciuis, mercator, longinquas adducens merces, opifex, uestiarius, coriarius faber sedentarias arces exercẽdo, uniuersumq́ amictũ Reipub. suppeditando, minus in suo genere, in suaq́ uocatione inseruire Reipub: existimandus est, quam Episcopus, Sacerdos, Pastor, Doctor Euangelij minister, Iurisconsultus, literatus, philosophus, scriba, hypodidascalus, docendo, prædicando sacramenta ex præscripto uerbo administrando, difficiles & abditos nodos, uoce atq́ scripto explicando, doctrinamq́ in genere totã inspiciendo custodiendoq́, aut Rex, Princeps, Senator, Iudex, Eques, Ius reddendo, in mediũ pro toto Reip. corpore consulendo, militando, stando in acie exercitus ductando, pugnandoq́ ac totam disciplinam, partim lege, partim ui, corporali, in ciuili societate tuendo inseruit. His enim quatuor partibus, ut dico, tota Respub. contineri mihi uidetur, Magistratu Rege seu Principe, Doctore, Episcopo, seu Sacerdote, Opifice & Agricola. Et ut summum palatiũ, castrumue Rex tenet, ita Sacerdotis est, Templo, Scholis et Collegijs docentium & discentium adhærere. Opifici & Mœchanico prætorio ciuili auscultare, Agricolæ in humili casa rustica suo domino subesse. Horum uerò munera & officia uersantur circa defensionem, doctrinam, amictum atq́ uictum. Seruit enim ut dixi agricola Reipub. uomere, plantatione uictum quærendo, Opifex artibus sedentarijs amictum totamq́ rem uestiariam & instrumentariam suppeditando, Defendit, tuetur, ius dicit, in commune consulit Politicus Magistratus, Sacerdos uerò, Episcopus, Pontifex, Minister Verbi, Hypodidascalus docet, erudit, instituit, præest rebus diuinis, rebus sacris, rem Literariam Diuinamq́ & humanam Philosophiam prouehit, promouet, medicando, sanat, difficiles nodos & iuris abdita, diuini scilicet & humani, explicat & tuetur in tota Ciuili uitæ consuetudine disciplinam, non ui aut potentia corporis & secularis Magistratus, sed hominem à natura ad quoduis uicium pronam & procliuem, sensim erudiendo, à uicio ad uirtutem à scelere, ad officium á turpitudine ad decus, ad timorem Dei, ad obedientiam, primum uerbi, deinde legitimi Magistratus traducit, & tanquam peritus nauclerus hominem rudem atq́ inertem, & non expertem naturalis inclinationis ad malum, ex procelloso undosoq́ mari, in quietum tranquillum, & salutarem transfert portum, Ac ea quæ dico princeps Philosophorum Aristoteles in Politicis expressisse mihi uidetur dum inquit, Ciuitatem seu Rempub. constare non tantum ex Medico & Medico, ex Philosopho & Philosopho, sed ex Medico et Agricola, Sicut enim Medicus & Philosophus nõ recte studia literaria tra

clare

clare, ſtudere, et alios docere erudiriue, aut medicando ſanare poſſit, niſi ruſticus & agricola in ſua uocatione quærat & ſuppeditet illi uictum, opifex amictum, ita hic niſi pari ratione à ſapiente erudiretur in pietate, et honeſtatis diſciplinis formaretur, à Principe uerò et Magiſtratu defenderetur, et in diſcipuna legum, et gladij ſeueritate, conſeruaretur facile à laboriosa uita ad ocium, et uoluptatem, exinde ad latrocinium et pyraticã ſeſe transferret, alter itaq; alterius ope in hoc Reipub. corpore ſemper indiget, et alter alterius ope ſemper nititur, & innititur miniſterio, Non poteſt manus dicere pedi, ulior, ignobilior & nullius uſus es mihi, nec uice uerſa pes oculo aut manui, organũ organorũ es, excellens, nobile & præcipuũ in toto corpore, ſocietas itaq; & communio nulla mihi tecum eſt. Hæc cum ita ſe habeant, unusquisq; cogitare & ſecum minime ſupino nec oſcitanti animo expendere debet, hac ſe lege in hanc lucem editum eſſe, ut reipub. ſeruiat, & obeat quisq; munera uocationis ſuæ, communemq; ſalutem, & utilitatem in ciuilis uitæ ſocietate cooperetur. Ac prodeſt ut unusquisq; ſuum locum ſuamq; in Repub. ſtationem teneat, & humeros quisq; ſuos pertentet quid Reipub. utile & ſalutare præſtare poſſit, an ſcilicet ad Senatorium ordinem & ad utram huius ordinis claſſem, militaremné an doctrinalem ſeſe includere debeat, & an ad militandum, ad obijciendum ſeſe periculis pro patria, an ad docendum, ſeu tractandam rem literariam quisq; natus ſit, & in utra claſſium iſtarum quaſi premia uirtutis merere & honorum cohoneſtamenta expectare debeat, aut ſi ex populari ſtatu genus & ortum ſuum ducit, num ſe per honeſtas & liberales diſciplinas in libertatem quaſi uendicare, & ex populari conditione in ſenatoriam, doctrinalem, aut militarem claſſem ſeſe poſſit transferre, atq; ita ex ſeruo & alieni iuris liber & ingenuus reddi atq; effici, adeò, ut qui primum ſuberat & regebatur, deinceps præeſſe & gubernare incipiat, regit enim ſenatorius ſtatus, regitur popularis, imperat, mandat & præeſt ille, huius eſt imperata magiſtratus ſui facere, & politicus quidem magiſtratus regit non tantum lege, ſed adhibet & gladium, potentiam, & extremã uim, Eccleſiaſticus uerò & ſcholaſticus uerbo Dei, & liberali inſtitutione tantum, quia nihil eſt aliud ſtatus hic, quàm uox clamantis in deſerto, parate uiam Domino, honeſte uiuitote, neminem leditote, & uirtutem amplectuntor. Sed ut redeam unde digreſſus ſum, principe loco poſtulat & unicè efflagitat Reſp. à Sereniſſima Maieſtate tua R. tanquam à capite corporis ſui, ut eam tuearis et defendas primũ domi, deinde foris, hoc eſt, intus, et extra, et domi quidẽ ſapienti, uigilanti, prudentiq; conſilio tuo, et ſenatus tui,

amplissimi, Deinde lege, primum quidem diuina ad cuius præscriptum re purgandi abusus & corruptelæ in doctrina tibi sunt, & restituenda puritati & integritati Apostolicæ omnia, Deinde Lege humana, hoc est, Iure municipali, Statuto, iudiciorũ integritate, diligentiq; & operosa iusticiæ administratione, & cum iuris redditione, tũ debita rei iudicatæ exequutione, & sic honore bonos, mulcta uero malos afficiendo

Ad domesticam defensionem pertinent, arces, propugnacula, uallũ fossæ, muri, tormenta bellica, bombardæ, pulueres tormẽtarij, milites, præsidia, cõmeatus, quibus finitumæ arces & propugnacula munienda instruenda, & sæpienda à uicinis sunt, tum nerus belli pecunia, cõparandus & in promptu semper habendus. De foris uerò defenditur Resp. utidẽ Lege pactorum, hoc est, fœderum religione cum uicinis quibus cum amicitia & bona uicinitas alenda & renouanda subinde confirmandaq; fœdera, tum constituenda cum illis amicitia, non iurisiurandi tantum religione, aut dyplomatis sed et nuptijs ac affinitate, constituta uerò sanctè & religiose cum illis colenda. Expiratis uerò siue uiolatis fœderibus, tum demũ ad iustum et legitimum bellum tanq; ómnium mediorum extremum uenien dum est, habendi ad manum belli duces & imperatores in artibus militiæ uersati, uiri strenui atq; clari, qui propositis premijs aduirtutẽ & ad con tẽnenda pericula pro Rep, tanq; pro cõmuni omniũ nido excitandi sunt.

Cæterum de officijs deq; ministerijs ab altera senatorij ordinis classe, nempe ab ipsa Ecclesiastica seu literata Reip. debitis, prestat me hoc loco tacere quam pauca commemorando nihil quodãmodo dicere, unum hoc dico omnem fœlicitatem omnemq; salutem & uniuersam bonarum utilium salutarium & expetendarum rerum dignitatem utilitatemq; ex ministerio huius classis ad Respu, peruenire, si uera uere sipiaſiè, si sancta salutaria & necessaria doceantur, sicut enim à pectore, ac adeò ab ipsius scaturigine corde uidelicet, quod primum uiuens est, et ultimũ moriens, uitales, & ex his animales Spiritus, nec non ratio, iudiciũ, intellectus, memoria, argumentationis consequentia, ac inprimis ipse sensus et motus ad alia membra corporis prouenit, sic ex scaturigine Euangelij sacrosancti & ex salutari bonarum artium institutione, ab ipsisq; sacerdotibus ut uulgo uocant, ceu tantarum rerum medijs organis & instrumentis tota salus & perhennes politiarum & Ecclesiarum fœlicitates ad genus humanũ, tanq; per certissimos & nunq; deficientes canales profluunt atq; promanant, Ex huius enim classis uera & fideli institutione & Reges recte regnant, & quiuis magistratus ac illi subiectus populus suis debitis perfunguntur muneribus, si uerò contraria ratione pro pijs impia, pro ueris falsa, pro sanctis uerbo Dei propheticæq; & Apostolicæ

ticæ doctrinæ àduersantia, populus in Templis, et tenera ætas in Scholis doceatur, tum infinitum malorum chaos & omnium calamitatum Oceanus, magno se illuuio effundit in Respub. Ob hunc enim ordinem, hoc est, ob neglectum uerum Dei cultum, & impuram doctrinam multis superstitionibus & idolomanijs contaminatã, totus mundus hac tempestate in maligno positus est, exulat ex rebus publicis exoptatissima pax & omnium almæ ac desideratissimæ pacis commoda: quia non est pax impijs, & diuinus Psaltes ait, Pax multa diligentibus Legem tuam Domine; Vbi igitur non est multa dilectio Legis diuinæ, sed & contemptus diuinorum Legum accedit, ibi multam calamitatem contentionum & odiorum fomitem, multaq; tristia bella, gentium motus, populorum dissipationes, ac exulcerata necesse est fieri omnia: sed de emendatione huius ordinis multi multa præclare scripserunt, de emendanda uidelicet doctrina, & repurganda uita, & moribus Sacerdotum, qualium librorum totus mundus plenus est, quin & uiua uoce eorum, quos Dominus in hoc desertum in messem extrusit suam, commonentur, cohortantur, ac urgentur isti ad resipiscentiam, & tamen se non commouent, uetus superstitio, quæ merito puritati Euangelij cedere debebat, etiam num pertinaciter magno totius Christiani orbis malo defenditur, & accumulatur super omne genus mortalium, ira & indignatio Regis illius æterni ex Syon egredientis, percutientis uirga, & confringentis tanquam uas figuli, testacea ista uasa generis humani, quod se & doctrinam suam repudiet, quòd non apprehendat disciplinam, quód nolit erudiri, nec intelligere, non deosculari Filium Dei, cui quisq; obuiam procedere, & hunc in salutari eius Euangelio hac tempestate diuina, eius erga genus humanum affulgente benignitate reducto, obuijs ulnis excipere ardenti pectore, & flagranti Spiritu, debebat. Sed opponant se isti quantum uolunt, moueant Acheronta, cœlum, terræ misceãt, non tamen consistent, durũ est illis contra stimulos calcitrare. Superuenit enim iam & astitit atrio suo, id est Ecclesiæ suæ sanctæ, per puritatem Euangelij regeneratæ, fortior ille armatus, Christus Dominus domum diripiens, & diuidens hostis sui Antichristi spolia, quæ olim quidem in magno precio habebantur, nunc catharmata, sunt & nugamenta immundi mundi, nempe bullæ, indulgentiæ, opera operata, opera supererogationis liberum arbitrium, gratiæ ex congruo & condigno, nundinationes missarum, concursationes ad statuas, cultus & inuocationes hominum mortuorum, & id genus portentorum turba, à quibus monstris liberauit Dominus tandem fortis Zelotes Sanctos suos, & reuelauit ac subinde augustiorem reuelat scientiam parulis trementibus super Sermones eius.

Quare

Quare mihi à gubernatoribus Ecclesiarum & scholarum hoc est ab Archiepiscopis, Episcopis, Pontificibus, Prælatis, Canonicis, Respublica eflagitare ac ure suo tanquam mater à filijs popoſcere uidetur, ut saluandæ seruandæq; illius iam tandem magis seriam curam maiori studio quam antea suscipiant, uidetur inquam tristi lugubriq; facie sordidato ueſtitu ad illos flẽs, & inenarrabiles gemitus spirans, ante pedes ueſtros ô Pontifices se proſternere & his uos uerbis alloqui. Heu mi alumni, cur me & ſe itis perditum, cur tam oſcitantes & ſomnolentes ad mei auxilium eſtis, ego uos genui, foui molliter, & foueo, uos me totam itis perditũ, conſpurcatis, conculcatis acceleratis, irã & uindictã Dei, ſecurim ad radicem poſitam contra uoſmet & contra ipſam me accerſitis, calamitates publicas, bella, cædes, ignes, flammas, cineres, ueſtra impœnitentia prouocatis, contemptui, deriſui, ludibrio, exponitis, apud uicinos noſtros nomen meum male & probroſe audit propter uos, inter gentes, non enim placent Deo ueſtræ illæ theatricæ pompæ, non cultus humana auctoritate excogitati. fruſtra enim colitis cum docentes mandata hominum, ſuis illi mandatis uult coli non alienis prout ipſe ſeſe in uerbo patefecit, abijcite itaq; per Deum immortalem, per fidem ueſtram, & per communem patriæ ſalutem, uos obteſtor, abijcite inquam Deos alienos, ſanctificate cœtus, renouamini ſpiritu mentis ueſtræ, induite nouum hominem, ueteră fermenta expurgate, conciliate uos, idq; ad præſcriptum uocis diuinæ meis Euangelicis, & illi uiciſſim uobis, reſtituite doctrinam ad Euangelij ſacroſancti amuſſim, reſtituite ſua præmia docentibus & diſcentibus, docentibus, inquam, populum in templis, & bonas artes in ſcholis, abijcite ocium, ignauiam, ſomnolentiam, ſocordiamq; tanti temporis, excutite tenebras & ſumte arma lucis, ſurgite ut eatis & fructum copioſum adferatis, ita curritote, ut apprehendatis brauium, multi in ueſtro ordine ſunt ſacris initiati. facite ut ſacrarum literarum, lectione, cognitioneq; ſeſe ſanctificetis, Multi ſunt Canonici, facite ut canones ſacræ ſcripturæ cognoſcatis, & curſum utæ ueſtræ canonicè dirigatis, & cedãt canones humani canonibus uerbi Dei, Nempe ſuperſtitiones, placita & traditiones hominũ falſi & idololatrici cultus uoci Prophetice Chriſti & Apoſtolicæ. ſcripto & uoce redarguitote. parum ſyncera doctrinam, hæreſes, ſalce uerbi Dei cõpeſcitote, præcidite oteq;, iacentem literarum & ueræ pietatis laudem pro ſuis quiſq; ueſtrum uiribus excitet, augeat, ornet, confertote honores eu functiones Eccleſiæ, his qui uiciſſim ſint illi honori, qui per ſe non per uicarias perſonas ſuis in docendo perfungantur miniſterijs, qui non ocium ſed negotium, laborẽ, ſtudium, operam, & operoſam diligentiam adhibeant, copioſumq; fru-

ctum

clum in Templis & Scholis per salutaris doctrinæ propagationem adferant.

Sunt in uestro ordine Cathedræ, sunt Collegia, sunt cœtus & contubernia Sacerdotum, sunt cœnobia & cœnobitæ, & uiuunt isti omnes ex publico, non suum, sed alienum laborem depascentes, rura, prædia, agros, fundos, decimas, & alias possessiones, per quam amplissimas possidentes, hæc tam ampla & suauia commoda, non propter ocium uestrum uobis attributa sunt, sed communicationis doctrinæ, sed ueræ pietatis, & ueræ institutionis causa, tanquam uirtutis premia, dum in illius exercitio & labore estis á maioribus nostris communicata, uidere enim fas est, quanta solicitudine reliquæ tres Reipub. classes uobis uestrisq; commodis inseruiunt. Nam militaris sane pro uestra salute, salutem suam pro fortunis, pro Sacerdotijs, præbendis, & abbatijs uestris, fortunas & uitas suas exponit, stat in acie pugnat, nulla hostium agmina reformidat, sed suo periculo, suoq; discrimine omne malum, & uniuersam calamitatem bellicà ceruicibus uestris propulsat, æquum sane est & reciprocum, ut proporcionaliter ea huic ordini prò tantis beneficijs reddatis, quæ uos reddere, ius atq; fas est. Videte & considerate etiam quanta commoda uobis popularis status adferat, quas lanas ex ouibus istis decerpatis, ciuilis classis seruit uobis, adducens longinquas ex remotis terris merces, terra mariq;, uitas et fortunas suas exponit pro uestris commodis & suauijs. Intuemini miseram plebeculam, quæ uomeri, atq; aratro nocles atq; dies affixa est, nocles & dies sudat uestræ commoditati & utilitati inseruiens, uictumq; uobis uniuersum & lauticias quasq; præparans, reddite uos illis pari ratione, ea quæ eorum sunt, uera et salutari doctrina in Templis populũ instituto te inbuito teneram ætatem, et totã adolescentiam bonis artibus communi uitæ utilibus et necessarijs, aperite ludos literarios, uerum timorem Dei, ueram fidem, et incontaminatam religionem, tum reuerentiam legum et legitimi magistratus docetote, nec committatis quæso, per uestram uos fidem charitati Reipub. debitam obtestor, ut in possessiones in Sacerdotia, et in prædialia, rura atq; agros ordini uestro attributos, non autem in ipsas functiones successisse uideamini, memoria secum repetitote, quam legem maiores uestri Romæ uobis tulerunt, ut qui sacrum Sacroue commendatum clepserit rapseritq; parricida sit, clepunt & rapiunt omnes, quia alia quam doctrinæ uia ingressi bona, sacris usibus destinata, inuadunt, quiq; hæc tanta commoda hominibus ocioſis, non autem ipsis muneribus perfungentibus attribuunt, quo nomine satis Reipub. et Ecclesia tanto tempore ludibrio habita est, in luxum & inanem pompam Sacerdotum thesauri

Ecclesiæ

Ecclesiæ conuersi, interim miser Lazarus Ecclesiæ personam sustinens ante fores diuitum Sacerdotum iacuit, & iacet adhuc, cupiens uel saltem de micis Diuitum istorum saturari. Date itaq; per Deum immortalem gloriam Deo & eius unigenito filio, noua omnia facite, uetera fermenta una cum dijs alienis abijcite, hoc enim si facitis magna perturbatione magnoq; malo liberabitis Rempub, abstergetis illius lachrymas, & ludibria, detrahetis tristem hanc lugubrem & sordidatam uestem, placabitis indignationem iræ Dei, & excelso loco apud Deum & homines Remp. hanc collocabitis, laudesq; & honos uestrum perpetuo manebit, Ibimus una omnes ouantes in domum domini, laudantes & celebrantes nomen Iehouæ, erimus unum ouile sub uno pastore Christo IESV, multa pax multaq; abundantia erit in turribus inq; domicilijs nostris, fugient & cadent, & in maxillam impingent hostes huius Reip. a facie nostra, Sin minus, si inquã non conuertimini ad Dominum Deum uestrum, quod tamen omen ipsemet misericors Deus auertat, nulla ratione cessabũt calamitates publicæ, uosq; eritis in causa tantorũ, malorũ dissipationis gentiũ, lacerationis reip. occasus & interitus patriæ. Id autẽ ne fiat charitas uos patriæ. amor cõmunis libertatis, uita, salus, decus et ornamenta illius, tum dulcis locus patriæ, hortamento esse debent, ac imprimis illa tristissima perpetui interitus comminatio, diui Pauli uoce promulgata, Euangelium IESV Christi tectum esse his qui pereunt, & odorem esse uitæ ad mortem.

Quare uestrum erit sacerdotes, gregem Domini pascere pabulo uerbi Dei, & iacentes literas ac linguarum bonarumq; artium studia excitare, ac imprimis & ante omnia Christum IESVM diligere, ac meminisse ternis uicibus Petrum à Christo quæsitum esse, an se diligat. Dilectio enim atq; charitas nominis Christi IESV cooperabitur, ædificabit & efficiet omnia in uobis, ut & uelitis & possitis, cum abnegatione sui, Christum & ueram pietatem in Euangelio patefactam diligere, & operari functiones suas omnibus diebus uestris.

A ciuili uerò Reipub. classe, hoc est, à mercatoribus, & ab ijs qui sedentarias, ac uniuersum genus Mœchanicæ artis, exercent, postulat eadem respub. ne in alienam messem mittant falcem, nempe in agrariã uidere enim licet magnam partem hominũ in oppidis per uniuersam Poloniam itidem agricultura uiuere, sicut & rusticam plebem, & nec multum ab agricolis rurálibus incolas oppidorum differre, interum adolescentia oppidana urbanaq; suam ueram stationem ignorat, non discuntur ab illa artes Mœchanicæ, communi uitæ utiles & necessariæ, & uiuitur in oppidis in magna ignauia, ebrietate & socordia, interim lana, lis-

num

num, cutis, ferrum & id genus domesticæ mercis, quod domi oppidatim elaborari debebat, ad uicinos nostros Silesios, ac aliás in Germaniam paruo aut nullo precio ex regnò educitur, & iterum ad nos ab ijsdem nostra lana & nostrum linum in suam debitam formam redactum, magno precio reportatur, quod cum detrimentum magnum adferat Reipub. interdicendum uidetur ciuili classi, ut ab agraria functione sibi in uniuersum abstineat. Sedentarijs uerò artibus operosam adhibeat, diligentiam, uiuent enim multò commodius isti, Ciuilius, Vrbaniusq́, si uni operi tantum sese accommadauerint, & excellere in sua quisq́ arte studuerit, et opes ac facultates congerent multò ampliores, eruntq́ utiliores ad omnem impendentem necessitatem Reipub. ciues.

Agraria porrò classis non multam requirit á Repub. admonitionem, sat superq́ laboris, sudorisq́ in sua functione sustinet, nisi ut rei familiari & cultui agrorum operiosiorem adhibeat diligentiam, cum scelere uerò & flagitio, cum ebrietate, furto, insania, improbitate, petulantia et procacitate, perpetuum faciat diuortium, si utiles et salutares in genere uocationis suæ exhibere se uolunt Ciues. Sed hæc missa facio, Accedo uerò ad Lexicon hoc Latino Polonicum.

Cum certum sit ad comparandam fœliciter eruditionem, et perdiscendas pulcherrimarum artium disciplinas humanæ societati utiles et necessarias, necessario requiri Linguarum cognitionem. Sermo enim est potissimum humanæ societatis uinculum, non malè profecto de re Literaria, quin de toto Reipub. corpore merentur ij Principes, qui studia Linguarum fouenda et propaganda suscipiunt, et alijs autores sunt, ut pro sua quisq́ mediocritate talia studia prouehat promoueatq́.

Ego itaq́ SERENISSIME idemq́ mihi multò benignissime REX, et tua eximia erga literas et linguas uoluntate fretus et communi utilitate hominum nostrorum Regni tui Subditorum excitatus, hoc Latinopolonicum Lexicon ante multos annos in studijs Literarum in Germania à me conscriptum, nunc demum sub augustissimi celebratissimiq́ nominis tui auspicio, publice extare uolui, primum ut nostratibus utriusq́ Linguæ, Latinæ & Slauonicæ usum commendarem, & ut faciliorem ita & fœliciorem ex Patria ad Latinam aditum Iuuentuti Regni tui patefacerem, uix enim ullus est qui nesciat, quam longe lateq́ pateat utriusq́ usus, Latinæ Lingnæ beneficium omnibus ferme Europeis nationibus commune est, tanta profectò eius domi & foris utilitas & necessitas est, ut fateri oporteat maximarum rerum doctrinam ea comprehendi, idonee explicari, & ad posteros transmitti posse, et solere.

Slauonica aũt Lingua ut est antiquissima ita in multis imperijs longe lateq; dissitis admodum frequens est, & usitata. Non enim solum Polonis, Masouijs, Russis, Roxolanis, seu Ruthenis, Polodijs, Lituanis, Volinijs, Samogitis, Prussis seu Pruthenis, Cassubijs, Pomeranis, Osuæcimensibus, Zathorensibus, hoc est toti Sarmatiæ, quæ prouinciæ tuum imperium recognoscunt, Sed & multis alijs populis nationibus & regnis familiaris patria & domestica est, nempe Bohemis, Moraus, Silesijs, Dalmatis, Croatis, Bosnensibus, Vandalis, Moschouitis, Hunnis, Auaris, Ramis, Racis, Mœsijs siue Misijs, Seruijs seu Serbis, Bulgaris, Callicien sibus, Lodomeris, Comanis, siue Clumanis, Carniolanis, Poseganis, Foroiulien sibus, Istrijs, Illirijs, Galatis, seu Coczouien sibus, & certæ partis Carinthiæ. Quæ nationes omnes unum & idem genus sermonis Slauonici agnoscunt, & Dialectis tantum inter se uariant.

(Altera publicationis meæ causa est, ut nostris hominibus utriusq; Linguæ coniungendæ hac mea Opera & labore prosim & demonstrem Polonicam, seu Slauonicam Linguam, non minus facundam uerbis & sententijs grauem & suauem esse, quam quamq; aliam si diligenter excolatur, Ostendi igitur uarias unius uocis significationes & phrasium ex probatis Latinæ Linguæ Scriptoribus sumptarum, Synceras quantum potui expositiones, de quibus penes æquum Lectorem iudicium esto, Vnum hoc præmoneo Polonicam Linguam Analogiæ esse, si quanq; aliam obseruantem quædam cum Græcis, quædam cum Hebræis, quædam etiam cum Latinis habens communia, Genus enim masculinum, fœminimum & neutrum, in uerbis sicut & Lingua sancta habet hic sermo, dualem numerum habet communem cum Græcis, sed ad eius rei explicationem de Grammaticis, uidelicet præceptis & obseruationibus alius in alio Libro contrario Lexico Polonico Latino, cuius etiam æditionem adorno magis idoneus & peculiaris dabitur docendi locus.)

Etsi autem intelligebam Serenissime Rex huius generis scriptum, ac ipsam adeo materiam huius libri parum competere M. tuæ. S. grauissimorum negotiorum actionibus & lectionibus occupatæ. Tamen me non existimo præter officium facere, quod regni tui ciuis, et Reip. cui Tu diuino numine præes, filius, tibi Patriæ patri Principiq; Regi et capiti omnium nostrum has studiorũ meorum primitias potissimũ offero, ut uidelicet meæ erga tuã Ma. Ser. obseruantiæ, seruitutis, & obsequij, tum in totam Rempub. studij & effusissimæ, uoluntatis publicum extet testimonium. Deinde ut Tua Maestas, ceu publicus Pater familias, tutor Patronus, Aeconomus & parens Scholasticæ iuuentuti, ceu dilectis

Imperij

Imperij Tui filijs, hunc Librum quasi manu porrectum, Regia approbatione & authoritate commendes, quo plures addiscendæ & conungendæ utriusq; Linguæ diligentiam & amorem incitentur.

Congratulor etiam tibi, quód sub fœlici & augustissimo Imperio tuo syncerior Religio Apostolica per regna & domina tua eflorere incepit, & in Scholis quæ Seminaria Ecclesiæ Dei, & Reipub. sunt, pollitior literatura una cum Patria Lingua coniuncta iuuentuti Regni Tui sit donata, quæ Te in omni æternitate memoria celebrabit sua, Teq; multó fœlicem & ueræ augustum olim deprædicabit, quod diebus imperij Tui, tot ad Rempub. & Ecclesiam Dei peruenerint commoda, Tuo fauore, tua summa & incomporabili probitate, clementia & benignitate, & cum singulari mansuetudine, tum & liberalitate uerè Regia, undequaq; omnibus probis cum officio commercium habentibus affatim afluente.

Quod superest potentissime REX, á Maiestate Tua Serenssima humiliter peto, placido et benigno uultu, hoc qualecunq; scriptum in gratiam Scholarum, et Iuuentutis Polonicæ, Regni Tui, concinnatum, suscipere et tueri digneris, ac meipsum pariter Regio Suo fauore ac clementi et benigno patrocinio complecti et prosequi. Ego uerò pro Tua incolumitate prosalutari gubernatione, proq; florentissimo Regnorum & Imperiorum Tuorum statu, Deum Patrem Domini nostri Iesu Christi supplex oro, & debitas fundo preces, ut tibi Spiritu Sancto suo adsit, Teq; contra hostiles machinationes confirmet ex alto, totumq; gubernationis Tuæ cursum ad sui Nominis gloriam, Ecclesiæ Dei salutem uerorum cultuum Dei propagationem extirpationem uerò adulterinorum, & communem omnium nostrum salutem, dirigat. Datum Regiomonti tertia Mensis Aprilis, Anno salutis 1564.

IVSTVS SVA FIDE VIVIT.

ILLVSTRISSIMIS PRINCIPIBVS ET DOMINIS,

DOMINIS ALBERTO FRIDERICO IVNIORI DEI GRATIA MARCHIONI BRANDENBVRGENSI ET IN PRVSSIA, STETINIAE, POMERANIAE Cassubiorum & Vandalorum Duci, Rugiæq; Principi, Burggrabio Norinbergensi, &c. Et NICOLAO CHRISTOPHORO Radziuuil in Olika & Niesuuiesch Duci, Comiti in Schidlouuiecz libero Baroni in Kleckzo & Grodeck Palatinidi Vilnensi, ac NICOLAO RADZIWIL in Bierze & Dubynki Duci iuniori, Palatinidi Trocensi Dominis cum obseruantia Colendissimis Ioannes Mączinski Eques Polonus S.P.D. & omne genus obsequij & obseruantiæ suæ debita fide defert atq; commendat.

QVIA uirtus ipsa per se amabilis est, & quia nobilitati honor & obseruantia debetur, obseruaui & ueneratus sum indolem Celss: uestrarum Illustriss. iamin de à prima ingeniorum & studiorum uestrorum inspectione, uidi enim illas, studio uirtutis mirificè incensas esse, quam in uobis exorientem amare, ut dixi cœpi & colere Clarissimo genere ortos, uestram uerò institutionem eruditam sanè piam & liberalem non semel pijs & precibus & lachrymis prosequutus sum. Sic enim mecũ statuebã in Celss. Vestras Illustriss. illam Christi Domini uocem. Sinite paruulos ad me uenire in primis competere, quid enim aliud est ad Christum paruulos uenire, quam pia & salutari doctrina ab ipsis incunabulis imbui, recte & fideliter in bonarum artium disciplinis & in uera pietate institui, ac imprimere in animis teneris ueram Dei cognitionem, ut eam & hauriant à pueris, & omnia uitæ salutis fortunarum honorum, & ornamentorum præsidia & cohonestamenta dignitatum ab illo solo petant, sperent & expectent, sicut elegãter dicitur.

Si Christum bene scis, satis est si cætera nescis.
Si Christum nescis, nihil est si cætera discis.

Ad hoc ipsum elegantius à quodam expressum est, aureis plane characteribus inscribendũ, imò intimis animi penetralibus recondendũ.

In studijs toto, semper cole pectore Christum.
Is parui merces magna laboris erit.

Sit etiam in conspectu Græcum illud dictum ἀρχὴ ἁπάντων κέι τελ- πόλει θέον *quod Stigelius eleganti hoc uersiculo expressit.*

Sitq; tuæ uitæ regula certa Deus.

Hanc diligentiam in erudiendis de Deo filijs seriò Deus præcepit, Deut. 6. Ita inquiens uerba ista quæ ego tibi hodie præcipio sint in corde tuo, & inculcabis ea filijs tuis de his loqueris domi militiæq; cum cubitum uadis, et cum surgis, ligabis deniq; ea in signum ad manũ tuam, eruntq; monumenta inter oculos tuos, scribes ea super postes domus tuæ, & in portis tuis, uult sanè Deus sua beneficia grata mente & recordatione coli, & subinde repeti & inculcari ne effluant: id quod eò libentius hoc loco commemoro, eximij macteq; uirtute Principes quo alacrioribus uos animis ueræ pietatis uirtutis & liberalium artium studia amplecti & prosequi intelligo. Quare equidem nec Deo gratius quicquam, nec Illustriss: Vestris parentibus optatius iucundiusq;, uobis uerò ipsis eximius præstare & comparare potestis: quam si in hoc sancto præclaro & laudabili studiorum uestrorum cursu perstiteris, uere enim felices & beati eritis, & accedetis olim ad gubernationem uobis & Reip. salutares, Principum nomen optabile & honorificum est, sed est in isto honore pondus, est & labor, sunt onera, cadunt in eam quam uos sustinetis functionẽ uirtutes omnes, cadunt honores, cadunt ornamenta, at cadũt & onera multa & magnæ molestiarũ & difficultatum tempestates iuxta usitatũ dictũ, honores onera, gubernatio enim ad quam Celss. Vestræ Illustriss. natæ sunt, ipsa per se difficilis est, at in hac ultima mundi senecta quo furoribus Sathanæ undiquaq; impetitur magis confusa, magis & multò difficilior est, maiorem itaq; in ijs qui præsunt, aut præesse debent requiri timorem Domini Sapientiæ fontem, & liberalem institutionem. Non deerunt uobis fortunæ, non deerunt opes, at etiam deesse non debent, pietas, sapientia, iudicium, doctrina, multarum magnarum rerum diuturnus & confirmatus usus. Habetis pro se maiorum uestrorum longè optimorum maximorumq; Principum in domibus illarum ante multa secula natam existimationem: habetis et clarissimam parentum uestrorum quam etiam nunc intuemini immortalitate dignissimam memoriam, qui suis ipsi familijs ceu clara quædam lumina luminaq; huic uiciniæ illuxerunt, quorum de literis de pietate, de Scholis

de

de re militari, & reliquis Reipub. partibus illustria extant monumenta, quæ per manus syncero pectore Celss. V est. Illust. tradita ab illis sunt, continuãda uobis ueniunt, excitastis opinionem de se omnium bonorum, est enim in uobis pudor, est innata probitas, est et expetendarũ uitandarumq; rerum scientia, & qui Celss. V est. Illust. familiarius norunt, non pulchra tantum lineamenta corporis laudant: sed et præclaros ad uirtutẽ impetus mirificè deprædicare & suspicere solent. Quos non æquabitis modo, sed & longe auguria hominum post se relinquetis, si ea ina Regia quam ingressi estis, insisteritis, quam ad rem Celss. V est. Illust. non cohortabor, ne uidelicet fontes potare udear, constat enim uos in longe limpidissimis optimarum artium Scaturigimbus uersari. Et optima uos alioquin natura tum maiorum uestrorum dignitas, ad decus imitat, & quasi manu prehensos ad quæuis ornamenta ducit. Eritis igitur tales quibus dignitas & religio, prima & potissima sunt, quæ decora uos coletis maxime, & eritis in Christi militia anteſignani. Gratulor potius uobis istam fœlicitatem, quod in hæc tempora tenera ætas uestra incidit, quibus de fontibus Israelis iuuentus bibere, hoc est, recte in uera pietate institui incæpit. Hæc enim quid est aliud, quàm omnis uirtutis consilij, prudentiæ, sapientiæ, fœlicitatis, et ueræ gloriæ perbenne flumen, et indeficiens scaturigo. Cæterum ut meæ fidei, mei studij et obseruantiæ in Celss V est. Illust. et eximiam uestram pietatem, quam ab ipsis, ut aio, incunabulis ueram de Deo imbibitis, tum & genus uestrum perquam celebre, & excelso loco sittum, extet non obscurum testimonium: constet etiam mea in Illust. Principes parentes Celss. V est: Illust. Viros in Politica & Ecclesiastica Repub. maximos, pro humanitate incõparabili, proq; oblatis & cumulatis in me beneficijs pia gratitudo, hoc Latino Polonicũ Lexicon Ser. Clementissimoq; Regi nostro, in genere, uti publico harum regionum parenti, humiliter oblatum, Celss. V est. Illust. in specie tanquam Maiestatis eius Serenissimæ harum Regionum Principibus, ceu Primarijs eiusdem in hac Repub. filijs propriè inscribo, dedico, dono atq; sacro, uti quorum studijs in hac illarum tenera ætate ac adolescentia, propius subseruiat & competat prouehendis, Hoc enim saccaro, hocq; melle reliquæ Scholasticæ pubi, materiam huius Libri, condere uolui. Coniungo autem omnes tres in hac dedicatione, quia omne trinum dicitur esse perfectum, & quod Scholæ, in quibus nunc uos uersamini, societates sunt non singularitates, cœtus, congregationes, & contubernia, non solitudines, ut quos uidelicet, eorundem studiorum societas connectit

animorum olim & consiliorum, communicatio, exemplo clarissimorum & immortalitate dignissimorum parentum uestrorum arctius, suauiusq; coniungat. Dominus Iesus Christus Celss. Vestras Illustriss. Spiritu suo Sancto regat, ducat, flectat, & protegat, quo toti olim Christianæ Reipub. ornamento ac saluti, ut spes & exspectatio est maxima, esse possitis. Me etiam Celsi. V est. Illustr. & uestro benigno fauori, accuratius commendo, ac meam illis seruitutem, studium, fidem, & obseruantiam in perpetuum mancipo atq; dedico. Datum Regiomonti tertia Mensis Aprilis, Anno salutis 1564.

PHILIPPI MELANTHONIS EPISTOLA DE ORIGINE GENTIS HENETÆ Polonicæ, seu Sarmaticæ Tabulis Poloniæ descriptionem continentibus Vuenceslaij Godrecij præfixa.



Cura digna est homine, considerare, quæ pars mundi sit domicilium nostrum, & in quibus regionibus, quæ magnæ res gestæ sint, ut Ecclesiæ origo & propagatio, & Imperiorum series et mutationes cogitari possint. Ad hanc sapientiam conducunt Tabulæ. Quare doctorum hominum labores in his eruditis descriptionibus, et grati omnibus esse debent, et laude dignissimi sunt. In hac consideratione & Gentium migrationes nos de multis magnis rebus commonefaciunt, ut initia generis humani ex diuinis testimonijs quæramus, nec somniemus retrò æternam fuisse hanc hominum naturam: sed statuamus, à Deo conditam & formatam esse, et initio in sede certa collocatam: unde postea propter uarias causas uelut coloniæ in alias terræ partes deductæ sunt. Postea secutæ sunt & propter bella, famem, contagia luis, tyrannides, ex his colonijs nouæ migrationes, quæ ostendunt res humanas instabiles esse, & quærendam esse ueram patriam, dulcissimam Dei consuetudinem, in tota æternitate duraturam. Sæpe autem miratus sum eos, qui maximæ & celebratissimæ gentis Henetæ uetustatem et nobilitatem negligentes, uarias comminiscuntur origines in diuersis regionibus. Si origo gentium ex linguis iudicanda est, ab una stirpe credendum est propagatas esse omnes gentes, quæ in Polonia, & uicina Russia, in Illyrico, & Littore Baltico, & magna parte Germaniæ sonant eandem Henetam Linguam. Fuisse autem ueteres Henetos uirtute præstantes in ora Troiæ uicina, ex carmine Argonautico, ex Homero, et ex Herodoto manifestum est, ubi non fuerunt alieni, à uicinæ gentis Ionicæ artibus, disciplina et moribus. Notum est autem, cultissimas fuisse urbes Ionicas, & floruisse artificum ingenijs & operibus. Et carmem Homericum ostendit, in Ionia Musicam, linguæ elegantiam, & multiplicem doctrinam fuisse. Nec fieri potuit, quin ad uicinos riuuli manarint. Vatem quoq; Phinea narrant scriptores Argonautici, in Henetorum regione uixisse; qui cum eò ex Tyro uenerit, doctrinam de anni ratione, et motibus cœlestibus, notissimam Tyrijs, attulit. Non igitur sentio, Henetos immanium Scytharum sobolem esse, sed progressos ex illa Troiæ uicinia, late occupasse terras uersus Arctum, & uersus Occasum. Siue autem Antenor, siue alius, eos in sinum Adriaticum duxit, in ea ora hodie nomen Henetorum reliquum est. Fortassis autem circa idem tempus Illiricum compleuerunt, ubi nomen est Sorabi: quod cum nomine Sarmatiæ, paucis literis mutatis, congruit. Est autem Etymologia nominis Sarmatæ Dux altitudinis, Sar Romath uetustas, Seruij seu Serbi potius legendum. *enim*

zarRomak Legendum potius existimo quasi Dux Equitum Zar omnium Ducem Romak celerem & expeditum equum significat.

enim dixit Sauromatæ. Et sic appellati sunt, quia altiora loca uersus Arctum occuparunt. Appellatio autem Henedi, ut sonat, Hebræis est, uagabundi. Latè enim processerunt hæ gentes, uel bellis longius tractæ, uel ad Meridiem quærentes fertiliora & mitiora loca. Expressè aũt inquit Ptolemæus, Henetos esse maximã Sarmatarũ partẽ. Etsi autem diuersæ Gentes, & diuersarum linguarum fuerunt Getæ & Heneti, tamen passim uicinæ fuerunt, procedentes inde usque à Cimmerio Bosphoro. Tenuerunt adhuc Getæ ripam Istulæ, circa Cracouiam, Ptolemæi geographi tempore. Sed postea successerunt in eas sedes uicini Heneti, quum Getæ Romanis bellis tracti, propius ad Istrum cum ingenti multitudine accessissent. Deinde Heneti latè uicinas terras occuparunt, usq; ad littus Balticum, & alibi ad Albim & Salam. Hæc de Henetis eò commemoro, ne misceantur Scythis seu Tartaris, á quibus & lingua discernuntur. Est autem Regnum Polonicum magnum decus Henetæ gentis, diu iam florens multis ornamentis, legibus, iustitia, fortitudine, scientia rei militaris, doctrinarum cognitione, studio religionis. Præcipuè uerò lucet hac in re iustitia gentis, quód ferè semper bella gessit aduersus Tartaros, pro reliquæ Europæ salute, & iam ferè annos quingentos uelut murus est Germanis & Pannonijs aduersus Scytharum seu Tartarorum immanitatem. Et uerè nobis custos est illius arduæ regionis ad Eurum, ut antea de nomine Sauromate diximus. Id publicum beneficium agnoscamus, cogitantes, quæ regna, qua in statione Deo seruiant, & mediæ Europæ prosint: ut in media Europa conseruari honestæ leges, doctrina religionis, Literæ, Artes, & disciplina ciuilis possint. Precemur autem Deum, ut omnes hæ uicinæ gentes, Germanica, Polonica, Pannonica, Danica, semper coniunctæ sint consensu ueræ doctrinæ de Deo, & uera inuocatione, & sint unum in Deo. Deinde ut earum perpetua inter sese concordia sit, ut coniunctis uiribus arceant Tartaros & Turcos: qui non ideò bella gerunt, ut ueteres Monarchiæ, ut legum, iudiciorum, & disciplinæ instauratio fiat: sed ut deleant non modo homines, sed etiam doctrinam de uero Deo, & ueram inuocationem Dei. Estq; immanitas Turcicæ gentis ipso nomine significata. Nam uocabulum Turca, significat uastationem. Hæc sæpe cogitanda sunt in hac languida mundi senecta: & Deus orandus est, ut aduersus impiam barbariem ipse sit custos & protector honestorum Imperiorum, & semper inter nos æternam Ecclesiam sua doctrina colligat: sicut promisit, se reliquias ueræ Ecclesiæ seruaturum esse, & peti conseruationem iussit. Bene uale Lector: Calend. Ianuarij, Anno 1558.

Petrus

PETRVS ROYZIVS MAVREVS HISPANVS AD SARMATAM.

Lim magua fuit Romanæ infantia linguæ,
Frigida Sarmatico qua riget aura ſolo.
Poſteritas [illegible]a enim melioribus excita curis
Gaudet Romanos edere docta ſonos:
Tr[illegible]ſtulit his chartis ex quo Macinius omne
In ueſtram Latium, Sarmata, Sarmatiam.
Perdiſcent pueri quo præceptore, quod olim
Aetate exacta uix didicere ſenes.

Idem.

Iſtud opus poſtquam Macinius edidit ingens:
Sauromatas Latio quod docet ore loqui.
Romanæ Linguæ, qua claruit Itala tellus:
Sarmatis ora decus, Romula nomen habet.

Idem.

Hoc ubi uidit opus Macini Roma politum
Dixit, habent ne ſuum Sauromatæ latium?

Idem.

Hoc libro lecto, mox Tibridis Accola, noſtra
Vincimur heu lingua, dixit: & ingemuit.

Idem.

Fleto ſenex, canus quæ neſcis, illa tenellus,
Ante pilos diſcet: & ſciet illa puer.

Idem.

Sarmata, ſcriptores ueteres ne quære nouoſue
Romano docte quem iuuat ore loqui.
Macini liber hic, monumentum inſigne Ioánis
Magna ſat eſſe tibi Bibliotheca poteſt.

Idem.

Hunc quid commendem librum tibi, Sarmata? uino
Nil opus eſt hedera, Sarmata uendibili.

Eiuſdem

EIVSDEM ROMA DE POLONIS.

OMnes ſubieci gentes mihi Roma: coëgi
Atq; ſuperba meo ſubdere colla iugo.
Conceſſere meis armis occaſus & ortus,
Noſtraq; nec medius neſciit arma dies.
Terrarum uictrix qua Sol ſe lucidus infert,
Armis Sarmatiam uincere non potui,
Armis nec uictus nec tactus Sarmata noſtris,
Olim qui noſtrum non tulit Imperium,
Nunc diſciplinis uincit me, & Sarmata lingua
Me quod turpe mihi eſt, doctior ipſe mea eſt.

AD LECTOREM
GEORGIVS VVEI-GELIVS.

EN tibi, Lector, opus rutilo præstantius auro:
En tibi præclaras nobilitatis opes.
Quas dedit ingenio Vir magnus & arte politus
Mączynius generis fama decusq; sui.
Vt patriam studijs ornaret ubiq; colendis,
Discendiq; auidis rite aperiret iter.
Quisquis amas ergo linguam coniungere utramq;
Præsenti poteris commoditate frui.
Solue Deo meritas pro tanto munere grates,
Quod tua sic omni commoda parte iuuet.
Et simul authori bona quæq; precare fideli.
Sedulò quod tantas accumulârit opes
Quæ possessori nulla sunt parte molestæ:
Semper eum fida concomitantur ope
Non cum sorte uices crebrò uariante recedunt:
Cum domino immota stantq; manentq; fide.
Non fugiunt senio, non igne, dolore nec ullo:
Non mare, non furtum, sæua nec arma timent
Omnia cum pereant ruiturq; tempore mundi
Hæ mentis sociæ morte carentis eunt
Hæ simul oblectant iuuenesq; senesq; per æuum
Ornantes uarijs hic & ubiq; modis
Rebus in afflictis solatia firma ministrant
Tristia sollicito corda timore leuant
Qui tenet has, sapit, & de re bene iudicat omni:
Hinc decus & ueræ nomina laudis habet
Consulit in medium: prudens discrimina rerum
Despicit, & quod agit, præmeditatus agit.

Sic commissa sibi cum laude negocia tractat
Vt cupiat cunctis ferre salutis opem.
Ergo ualere iube fucati munera mundi.
Qui sapis, oblatas & cape lætus opes.
Florigeros animi causa spaciare per hortos
Sic potes has linguas perdidicisse duas.
Quarum (crede mihi) uita manet usq; in omni.
Regna fere mundi cuncta fruuntur ijs.
